



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

Quod diabolus internas cogitationes animæ non videat, sed ex motu corporis intelligat. Cap. CVII.

Ex dictis August. **I**Nternas animæ cogitationes diabolus non videre certissimum est, motus corporis ab illo & affectationum indicia colligi experimento didicimus: secreta autem cordis solus ille nouit ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum.

De eadem re. Cap. CVIII.

Ex dictis eiusdem. **N**ON omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquoties ex nostris arbitrii motu emergunt. Bonæ autem cogitationes semper à Deo sunt.

De illis qui alios in culpa sua defendere nituntur.

Caput CIX.

Ex dictis eiusdem. **R**E OS sanguinis non defendat Ecclesia: ne effusione sanguinis particeps fiat.

De eadem re. Cap. CX.

Ex decr. Eusebii papæ, ca. 15. **V**T qui alium in culpa sua defendere, vel excusare nititur, excommunicetur.

Vt pœnitentia coniugatis ex consensu detur. Cap. CXI.

Ex concil. Arelatense. cap. 6. **V**T pœnitentia coniugatis ex consensu amborum detur. Pœnitentiâ coniugatis, non nisi ex consensu dandi.

Quot modis animæ defunctorum solui debeant. Cap. CXII.

Ex dictis Origenis. **A**Nimæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum elemosynis, aut ieiunio cognatorum.

De nutriendis infirmis. Cap. CXIII.

Ex dictis Hierony. **N**Utrire infirmos, & fouere Christum nihil interest, nutriendus enim est infirmus: quia Christus infirmis esse profitebitur.

Quod non noceant præterita, si non placeant præsentia. Cap. CXIII.

Ex dictis August. **N**ON nocent mala præterita, si non placeant præsentia, præcipue si multis elemosynis sint expiata.

Ex pœnitentiali Romano. *De illis qui hospites recipere neglexerint. Cap. CXV.*

QUicumque hospites non recipit in domo sua, sicut dicitur minus præcepit, & propter hoc regna cœlorum pro